

Letter 318: 2 January 1527, Strasbourg, Capito to Ambrosius Blaurer

Published in Schiess 1, pp. 141-142, no. 112. On Blaurer see above, Ep. 192 headnote.

Gratiam et pacem, charissime in Domino frater. Vidimus Kalenda[rium] Murnari, dignum autore opus, quod te cum laude celebrat, quia neque fingere potuit malitia de te, quod dedeceret. Habet hinc ex monasterio Minorum stipendium lii aureorum ea conditione, ne quem civem traducat neque verbis neque libellis suis. Inde est, quod a nobis abstinuerit; nam literarum mearum commeminit, quae quidem cives non sunt, licet eas scripserim civis. Hoc dilemmate poenam accusatus evadet, tametsi nos ridemus vanitatem morionis. Atque utinam fratribus Helvetiae tam parum obsesset ea impudentia, quam nobis hic multum prodest, nam papistas pudet audaciae impudentissimae simul atque foedissimae.

Iuvenis hic idoneus est docendis pueris, quem ob probitatem plerique amant; potest Graece ac latine, in Haebraeis initium discendi fecit, sed grammaticam tradere et interim augere parta per se potest. Hunc mitto ea conditione, ut redeat, si parum vobis probabitur; aetas enim videri tenerior potest, etiamsi magis apposita est ferendis laboribus. Nisi ita teperent cives in suis pueris erudiendis, in ludum hic fuisset ascitus; verum plerique suos ad opificia in tempore applicant, postquam spem sacerdotiorum consequendorum ademptam vident; adeo in publicum fructificat evangelium. Audi iuvenem ipse exponentem Graeca, item Haebraea, si libet, ut per te postea iudices. Alioqui de moribus eius testamur, qui vitam actam accuratissime pervestigavimus. Dominus te servet. Commenda me Thomae et nobilissimae tuae Margeritae; eas enim animas in Domino amplector. Zvickium salutabis, quem esse verbi [gr]symmistē gaudeo; pectus eximium est. Argen[torati] 2. Ianuarii anno 1527.

V. Capito.